PYRENEUS GENER MONETAE,

CARMEN DE TEMPORE SCHOLAE IN STUDIIS LITERARUM

FRUSTRA CONTRITO,

AUCTORE

G. G. BŒLLERO,

D. PHIL. ET PROFESSORE REGIO GYMN. EVANG. GLOGOVIENSIS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Mene peregrinae veniam a lectore rogare
Linguae, illi quod sit Teuto mihique pater?
Quin potius, si unquam, nil nunc nisi voce Latina
Vel Graeca dictum Judaicaque volo.
5 Rusticus ancillae patrio fateatur amorem
Ore; loqui doctos patria verba veto.
Vos male si juris fines exceditis illac,
Excedens fines hac ego pecco minus.
Utile nunc regnat, facitis bona cetera flocci,
10 Cuncta ego digna petens, utile curo simul.
Gloria quae nostra est? Peregrina crevimus arte.
Nomine tutelae proditis ergo Lares.
Ergo quibus sacer est, quia munit corpora, Rhenus,
His majorem animi demere vultis agrum!
15 Quos ego — sed revoco justas a caedibns iras:
Docturum quidvis lingua quieta decet.
Docturus redeo lustro redeunte. Docebo —
Ah, mihi surripuit praemeditata furor.
Quid nocet? Ut dicam, quod pridem pectore fovi,
20 Prima mihi quaeque est carminis ansa satis.
Me vel de capri lana cantare jubete;
Parebo, e ludo multa monebo tamen.
En, subit hoc animum, memoremque oblivio reddit;
Quam memor, oblitus prodero, credo, magis.
25 Hoc vitio multi non hac cum laude laborant,
Haec est materies carmine digna meo.
Nescio quis Batavus promisit praemia dives,
Quaerenti si quis redderet apta sibi.
„Qui fit, quod misere didicit studiosa juventus,
30 Hoc oblita ut nil post ferat inde lucri?“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sic Batavus quaerit, morbo medicamina poscens.
His volo responsum, praemia nulla volo.
Paucis, si placet, haec nostra est sententia verbis:
Facta metu pereunt, cognita servat amor.
35 Dicere sed me plura minusque recondita vultis,
Et me charta et mens dicere plura sinit.
Nec jam nota nimis timor est ne carmine dicam;
Quo magis haec nostis, verius illud erit.
Sed ne credatis, quaecunque ut prava notabo,
40 Mutari cito me velle; notasse sat est.
Namque homo sum. Sumo mihi jus erroris; at omnem,
Quem solus morem non probo, rite sequor.
Quicunque est ordo praescriptus lege modusque,
Virtus lege sub hac optima quaeque potest.
45 Non gladio quanquam praeclaro caeditur hostis,
Si, quae fert gladium, robore dextra caret.
Sed lapis exiguus prostravit caede gigantem
Vibratus forti ad sceptra futura manu.
E veteri libro negat hic se posse docere,
50 Comparat ergo novum, nec meliora docet.
Quis liber exsuperans reliquos habet omnia recta?
Falsave quis reliquis omnia pejor habet?
Quin bona saepe nocent, quia pars his magna repugnat,
Vel certe prosunt pace labante minus.
55 Omnia consensu penses. Quae maxima laudat
Pars hominum gravium, comprobet illa minor.
Consentire tamen, nisi si, quid sentiat, unus
Atque alter dicat, concio quaeque nequit.
Hoec ego praefatus mea tutus profero, sive
60 Sunt a more nimis, seu novitate procul.
Ergo prius caussas studii post frena remissi,
Tum quibus hoc teneat capta, docebo, modis.
Hic servatus erit, sed non nimis acriter ordo,
Otia nam, ut scribat, pauca magister habet.
65 Cum versu versum junxi majore minorem;
Saepe tamen sex sunt inter utrumque dies.
Hinc ne tu nonnulla legens bis dicta gravare,
Aut post inveniens, lector, omissa prius.
Quam te jam doctum pueros plus curo docendos.
70 Nunc ad propositum denique Musa redit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Prima est caussa mali, quod justo plura docemus.
Multa simul recte discere nemo potest.
Corporis atque animi communi lumina legi
Parent: quo tentant plus, minus ambo vident.
75 Vix unum e multis plane mens optima rebus,
Quin partem unius vix minimamque capit.
Wolfius hoc vidit, reliquis qui singula missis
Amplexus tenuit postmodo cuncta memor.
Aut quod jucundum est, servant juvenilia corda,
80 Aut quo, si non est, sunt agitata diu.
Si quid in arte placet nobis, hoc possidet intus.
Non facie, sicut femina, Musa placet.
Quantum deterrent, tantum docet omnia ludus,
Perfectoque odio clauditur atque metu.
85 Ultro ne pergant, studiorum turba magistros
Impedit, et poenis reddere dura jubet.
Praemia cum poenis nequidquam dulcia jungent;
Ambobus demtis nausea facta manet.
Praemia quippe rei durae sunt suavia, non res.
90 In rem poena odium fert mala saepe bonam.
Discet sic aliquid forsan, sed ut omnia discat,
Unum non discet, discere velle, puer.
Qua quis saepe via vel nolens itque reditque,
Notior huic laeta, qua semel ivit, erit.
95 Sed non hic crebro repetendi est ulla facultas;
Artibus atque dies finditur una decem.
Vix hospes Romae puer ablegatur Athenas;
Hinc peregrinus adhuc Gallica rura petit.
Per terrae loca quaeque rapit vapor igneus illum.
100 Saxa, urbes, silvas, rura volare videt.
Confusa rerum turbatus imagine torpet,
Atque redux nescit, quid sibi visa velint.
Quae nescit, reduci caussas harum edit et ortus
Clio, erepta oculo cernat ut aure puer.
105 Ne nimis huic suescat Musae, soror altera Musae
Discipulum ad sphaeras ad numerosque vocat.
Hinc modo dimissum vel Kantius excipit ipse,
Vel major fines mentis et arma docens.
Hic vires animi divisas esse minores
110 Doctus, quam solidas, discere silluk init.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„Sic me“ nunc physicus clamans „excluditis“ inquit,
„Stulto ignota est lex luminis atque rotae.“
Nunc currente rota credis funem ire retrorsum,
Ni curae accenso lumine finis adest.
115 Necdum finis adest. Quin nunc labor incipit ipse.
Est audire quies; hinc schola nomen habet.
Hactenus id vacua, quod fas est, praestitit aure,
Nunc praestans scribet debita tiro manu.
Jam quoties calamus fugit et petit ante sinistram,
120 Quam scriptum est, quantum crastinus ordo jubet!
Discipulo libri non sunt, ut discat ab illis
Ante audita, sed ut compleat inde novos.
Ultima nunc scripti permittat litera somnum,
Pensa sed injiciunt cras recitanda moram.
125 Vultisne ut tot res ne dicam diligat omnes,
Sed modo ut unam harum mens cruciata colat?
Munera, nunc dices, me justo plura diei
Nec serie recte dinumerasse sua.
De serie dabitur. Numerum programmata monstrant;
130 Privatis studiis publica junge modo.
Altera contemtus studiorum caussa futuri
In fundamentis est mora nava parum.
Ardorem ad linguae puer adfert limina summum,
Forte etiam est moles summa laboris ibi.
135 Peccant, qui ferrum, dum candet, cudere mittunt,
Nec simul ille ardor, mole manente, manet.
Peccant doctores, quibus infimus ordo videtur
Doctrinae indignus laudibus esse suae.
Et male permittunt ducibus mediocribus illum,
140 Cui summa doctor quaeritur arte, viris.
Ira implet sero deprensa lacuna docentem,
Hos odio, frustra qui didicere diu.
An raro, Musae quot sunt, tot contulit annos
In linguam juvenis, quae Ciceronis erat?
145 Sed ne quid speres hunc scribere posse latine,
Neu tutum a vitiis turpibus esse putes.
Litera picta modo Romae monet; aspice nexum
Verborum et modulum: barbarus omnis erit.
Hic melius multo, quam scribit, credo, loquetur,
150 Atque suae lapsum corriget ore manus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quid? Ne quos legit ille quidem convertere jussus,
Percipiet faciles, expedietque locos.
Scilicet hoc vestra, doctores, quaeritis arte,
Ut veteres volvens mente colatur homo.
155 Ingenium sollers et acutum prisca legendo
Et promtum studii vultis ad omne genus.
Obliviscantur quidquid didicere; sinetis,
Discipuli valeant dum ratione satis.
Vos nondum accuso, sed pace hoc dixero vestra:
160 Estis culpatae tertia caussa rei.
Tertia, vultis enim, sed eodem tempore quarta,
Si, quo non opus est, pergitis ista modo.
Non opus est mentem sine sensu fingere pulchri,
Non opus oblitum verba docere rei.
165 In minimas partes mola frangit Apollinis artus;
Pro statua pulvis venditur atque lutum.
Illo se juvenis purgabit pulvere liber;
Si semel hanc nosset, semper amaret eam.
A pulchro ad verum via quae deducit, omissa
170 Alterius studium tardat, utrique nocet.
Verbi cognitio res proferet, inquitis, ultro.
Credam, si finis cognitionis erit.
Saepe mihi scriptor, quem vestro more legebam,
Rem lectam ut scirem, post relegendus erat.
175 Praecipit haec spatium verbi explanatio rebus.
Terminus est nullus, nec statio ulla viae.
Hunc, qui non potuit ducibus reperire magistris,
Num volet aut poterit quaerere lictus inops?
Quod non apta docent, dixi delinquere multos,
180 Multos nunc labi dico, quod usque docent.
Hi nil ingenio discentum animoque relinquunt,
Inque illis ipsos se duplicare volunt.
Est aliunde datum, quod ab his, qui discit, habebit.
Quumque suum hoc nequeat reddere, perdet idem.
185 Corpus, ut hoc utar, certe nutritur edendo,
Sed tamen, ut valeat, non homo semper edit.
Concoctis tantum debet nova robora tiro,
Sive hos aure capit, seu capit ore, cibis.
Nec mirum, stomachus vel mens si pondus iniquum
190 Ejicit, atque intus taedia prima manent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nascitur in cathedris oblivio postera rerum,
Has etiam gnari si validique docent.
Quid jam de pigris dicam rudibusque magistris,
Qui mendis cumulant publica menda suis?
195 Hos ego non mutabo; quod est mutabile, carpo.
Hos lex, ad legem corrigat ante bilanx.
Non, huic si quanquam reprensae pareo legi,
Ut supra dixi, seditiosus ero.
Nec patriam, sed vos tangit reprehensio legis,
200 Quam auditis vobis, non prius, illa tulit.
Intra gymnasium lege hac peccatur et extra.
Illinc in pueri quaeso redite domum.
Hora post, coetum qua dimisere magistri,
Corpore commoto sedulus ille redit.
205 Lucubrare domi privatim plurima jussus,
Quid locet extremum, nescit, agatve prius.
Ex disciplina studii, quo praeferat unum
Jussorum reliquis, attulit ille parum.
Paret, proque sua movet hunc peregrina voluntas;
210 Vox et consilium dura volentis abest.
Quem casus primum pueri subjecit ocellis,
Hunc tandem sumit, nam premit hora, librum.
Praemeditandus in hoc locus est, quem crastinus ordo
Vertendum tanget, doctor at ipse timet.
215 Suppeditat voces excussum lexicon illi,
Vocibus inventis nexus et ordo latet.
Quaereret hunc certe, donec sibi commodus esset,
Cetera dissuadet quaerere cura diu.
Illinit ergo suae, quod rejicit ipse, papyro;
220 Forsan doctoris lumina fallet opus.
Frustra. Deprendit confuse scripta magister,
Temporis et pressum vi notat ille pigrum.
Laudatus contra consessor prodit amico
Miranti, ex quo laus fonte parata fluat.
225 En, renovati, inquit, Stutgardia nomine Delphi
Oraculum dubio dant cito vile mihi.
Totum opus est carum, per partes venditur ergo,
Nec minus auxilii divite pauper habet.
Dixit, at ille sibi, quasi venam invenerit auri,
230 Plaudit, et emturus currit ad arma doli.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Unam nunc fraudem, sed in una suscipit omnes,
Atque semel fallax, saepe dolosus erit.
Quidquid jam vires mentis poscetque laborem,
Promtior hoc oculis effugietque manu.
235 Nunc etiam e patriis exscripta auctoribus ille
Emendaturo bis tibi verba dabit.
Nunc ne recta quidem volet invenisse videri,
Atque erit huic, si sit pagina plena, satis.
Expilare librum huic jam non vitabile crimen
240 Discipuli quamquam debilioris erit.
Unum depinxi, vellem hoc quadraret in unum!
De magna invitus parte locutus ero.
Per totam haec patriae serpit contagio terram,
Cumque malis multos abripit illa bonos.
245 His igitur credet sese res publica quondam?
His artes cordi, quas tueantur, erunt?
Anglorum fures clam informant arte palaestrae,
Scribas fallaces nostra lycea palam.
Multa potest, si vult, avertere damna magister.
250 Nolle quidem quosdam non puto, velle nego.
Audio collegas dura de sorte querentes,
Quae servile sibi reddat et addat opus.
Hos non audirem, si pravos esse putarem,
Aut desperarem, quae peteretur, opem.
255 „Quam laeto," dicunt, „animo sumus illud adorti,
Quod nunc nos fractos robore munus habet.
Non fidit nobis, quae nobis patria cara est,
Quique alacres fuimus, jam facit ipsa pigros.
Quid speculatorum prodest custodia turpis?
260 Teste adstante fugit fraus, abeunte redit.
Libertate bonos doctores arbiter orbat,
Ut, quam sint, nequeant significare, boni.
Tum quamvis aptos minus aptos judicat ille;
Ira sed oppressos impediitque pudor.
265 Parca manet merces, augetur summa laboris,
Discere plus prohibent nos opus atque fames."
Haec illi dicunt, mea non sunt verba, virisque
Morosis, dubium est, num sit habenda fides.
Certius illud, ab his quaecunque docentur ephebi,
270 Haec teneris animis grata futura parum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tales in quaestum conversa mente magistri
Multa, sed ut nequeas insimulare, nocent.
Plurima discipuli specioso examine dicent,
Moti obscura sibi quae didicere metu.
275 Sed disciplinae monstrant, quae intelligit, artem,
Virgas, quae promte scit recitare puer.
Saepe, quod est opus, hoc non doctor publicus edet,
Ut privata lucrum det schola turpe sibi.
Saepe minus viles, speciem dum muneris explent,
280 Florem animi tamen huic ingeniique negant.
Rebus post operam per se rectisque bonisque,
Nunc laevis, fessi vim reparare petunt.
Hic noctes lunae dat contemplator et astris;
Livius aridior sentiet astra die
285 Afris ille deum meliorem mittit et Indis,
Dum hic narrant pueris clam stupra foeda libri.
Sunt, quos clara magis doctorum scripta virorum,
Quam mala tironum pensa notare juvat.
Vel quibus explosis puerorum errore protervo
290 Solamen scripto est gloria parta libro.
His non debebunt stimulos doctoribus artes,
Non juvenem, qui se sponte diuque colat.
Sed quod segnities nobis negat atque voluntas,
Nonne illud legum provida cura dabit?
295 Nonne etiam pigros postremi examinis horror,
Quod pulchrum est, coget discere, donec ament?
Ex intellectu fit amor; quod scimus, amamus.
Ad se vi ductos post Venus ipsa tenet.
Hoc sperasse puto, quisquis tentamiua primus
300 Instituit pueris spe paritura minus.
Scire quid est? Quid habet fructum didicisse decusque?
Haec si stant, prosunt, haec dubitata nocent.
Quos prima dignos ibi laude notavimus, illis
Saepe forum hos praefert, qui placuere parum.
305 Maeonidae sensum juvenis dissolvere nescit,
Sed quod scit Cheopis facta, probatus abit.
Quaeritur ex alio leve jam graviora locuto:
Est illi damno conticuisse semel.
Si est, quidquid coram nescit, quod nesciat, unum,
310 Doctior hoc nemo est; certa repulsa tamen.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

An, quoties juvenis tacuit, potuisset acerbus
Responsum judex pro reticente dare?
Judicio longa curaque operaque subacto
Tempore praefertur notio parta brevi.
315 Nomina lex melior ratioque exclusit et annos,
Vim tamen his annis nominibusque damus.
Jam reliquis fauste defuncti examine narrant,
Quid factum prosit, profueritque sibi.
Quis tempus porro studiis dabit omne molestis,
320 Si paucis aptus mensibus esse potest?
Sed jam vobiscum satis arbitror esse querelae.
Ut par sit, vereor, tot medicina malis.
Paene minus vellem dixissem, ut plura supersint,
Quo suadendi esset promtior apta labor.
325 Sed, jam si qua nocent, sarcire et tollere pauca
Possum, si qua instant, multa cavere volo.
Totum curabo, nec erunt mala singula curae.
Arce expugnata cetera valla ruunt.
Quod didicere, ut ament pueri, si fecero, partes
330 Gnaviter expletas esse putabo meas.
Et primum ad patriam convertam verba modesta,
Post ad collegas fervidiora meos.
O cui non vitam, sed florem debeo vitae,
Audi, vera mihi patria facta, tuum.
335 Si vis formari sincero pectore cives
Felicesque suis muneribusque pares;
Scire minus pueros posthac, plus posse jubebis,
Nomine pauca petes, re tibi plura dabunt.
Vis animi teritur varia re, proficit una.
340 Scire etiam stulti est, plurima posse boni.
Pauca petes, inquam, sed item pulcherrima, quaeque
In summis constat summa fuisse viris.
Omnibus e ludis examina cuncta relega,
Ut sit amans Musae pro metuente puer.
345 Quid praestet juvenis, melius labor indicat anni
Tranquillo, quam unus corde tremente dies.
Admisit vatem Messiae Jena futurum,
Quanquam intentatum Porta reclusa dabat.
Quam tibi, quam reliquis laxans portoria terris
350 Fecisti, dando facta opulenta, bene!

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quae non Mercurius, levis hic deus, immemor aufert,
Musae num referent parcius illa graves?
Cogere multa potes, non omnia; plurima non vis;
Quam jusso mavis cive volente bonum.
355 Nonne viros plebi rectum suasura requires,
Scribere qui possint fortiter atque loqui?
Quam bene censeres actum, mea patria, tecum,
Livius aut Cicero si tibi praeco foret!
Si, quae consuleres, ex ore Demosthenis irent,
360 Si pro te faceret verba diserta Plato!
Si, quae summa tuum decorat facundia patrem,
Divisa his esset, qui tibi cunque favent!
Atqui, ut rex dictis, scriptis ita clara vetustas,
Hic postrema viae praecipit, illa viam.
365 Graecos versari tantum librosque latinos,
Auctam si te vis, patria, flore jube.
Illi diversos qui telo auxere Britannos,
Quam tibi concordi commoda magna dabunt!
Complures veterum et totos, quem cauta probabis,
370 Pro sectis paucis legerit ille libros.
Nil sermone suum patrio sine prodere quemquam,
Ni scripta a priscis verterit ante bene.
Multa quidem relegens puer haud intelliget; esto!
Plurima pulchra magis sunt operosa minus.
375 Hunc, quae intellexit, graviter sentire docebunt
Et sensis dignos tum reperire sonos.
Scriptorum pueri doctore interprete partem,
Partem adstante legant atque videnti modo.
Quidquid agent aliud privatim, lege cavebis,
380 Ne sic, ut desit conscius, illud agant.
Isti quoque die doceantur quatuor horis,
Teste viro studeant et monitore tribus.
Ni mavis numeros invertere; namque doceri
Tot res, quot debet discere, nemo potest.
385 Et ne fraus habeat, quae lucis tempora restant,
His exercendum sub duce corpus erit.
Corpore sint cives et mente, o patria, sani,
Proque novis veterum tempora rebus ament.
Illis imbuti juvenes mox cetera discent;
390 Vas vacuum at firmum non peritura capit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nam priscae non sum linguae tam caecus amator,
Ut rerum pueros nil didicisse velim.
Sed res praeclaras ex puris fontibus haustas
Simplicitate illis vique placere volo.
395 Lector in historiis habitat versatus Homeri,
Vix quisquam doctus quas aliunde tenet.
Disciplina alias nova res profitetur et artes,
Sed praeter titulos nil operosa docet.
His titulis partem, non rebus et artibus ipsis
400 Detrahe, si pueros, patria, teque foves.
Vento freta levi valido sine remige navis,
Quum ventus liquit vela, laborat inops.
Nomina sunt ventus; non firmant pectus, at inflant,
Jam turbo frangunt nomina facta ratem.
405 Ergone res gestas qui tradunt summaque terrae
Et spatii fines, prorsus abesse volo?
Quod deus avertat! Sed contracto orbe laboris
Pauca ipsi melius posse docere volent.
Non schola quod docuit, terras tibi resque notando
410 Claros Ritterum Menzeliumque dedit.
Nec jam discipulus cometas Enckius auxit;
E parvo at pingui germine silva viret.
Hos modo, quos cupidos nosti gnarosque docendi,
Praefice formandis civibus, alma parens.
415 Praefectus ne quis sua tirocinia ponat,
Legibus et curis, ut facis, ante cave.
Neve tuus melius doceatur rusticus ipse,
Quam quibus impones munera summa, vide.
Intacta a nostro serventur saecula prisca.
420 Non Musae in magnis urbibus esse volunt.
In ruris crescet bona disciplina recessu.
Unam habitent doctor discipulusque domum.
Propria discipulis sit sacra colentibus aedes.
Sit gravis ad pueros dictio, sitque brevis.
425 Num jam doctores audisti, patria, questos,
Plus justo injunctum ponderis esse sibi?
Horum ne specie graviorem neglige vocem.
Gymnasii potius quam sua damna dolent.
Pauca mora melius longa, quam multa minore
430 Praestari, certum est, hic et ubique tibi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vis non fit major, quam dividis. Otia praebe
His, quos non strictim munus obire voles.
Otia quum dederis minuenda mole laboris,
Ne frustra dederis, largior esse velis.
435 Largior in reliquos; ego sum contentus, eroque
Sorte etsi modica, sufficiente tamen.
Privatae metus est, ne cedat publica curae.
Hanc primam si vis, sit prior illa tibi.
Fidas doctori. Fert diffidentia bilem.
440 Vel sine bile premit grande docentis onus.
Des intra certos huic fines libera quaeque.
Sit suus in mediis, ultima sola vide.
Sed taceo, quamvis quae dicam, patria, restent,
Phormio ne ut Poenum te docuisse puter.
445 Ad vos, collegae, me jam converto, quibuscum
Verba usus reddit liberiora mihi.
Non, si, quae suasi, factu sint optima, morem,
Qui praesunt, pravum mox abolere queunt.
Hi quod se non posse dolent, nos possumus illud.
450 Tam bona lex nulla est, quae meliora vetet.
Nec leges muto; parendi muto figuram,
Et legum auctores quod voluere, volo.
Praeceptum est, ludo juvenes ut abire parantes
Scribere Romanis plana queantque loqui.
455 Non quo post veteris linguae sit publicus usus,
Sed quod, quae recte scis, facere ipse potes.
Nec miraremur, si lex minus aequa latinis
De Graecis esset lata severa magis.
Recte scire unum juvenes vult patria cives;
460 Sed quantum sensu functio legis abest!
Non minus illorum Ciceroni scripta laboris,
Quam illis dant hujus verba legenda, darent.
Quae monstri est hujus post multos caussa labores?
Vos nimium faciis, discipulique parum.
465 Hos, ut plus faciant, movet aut dulcedine pensum,
Aut doctor praesens, aut pia cura dei.
Namque metus, probrum, spes, laudes, praemia, poenae
Sunt in mortali perfida tela manu.
Sed quid dulce potest pueris labor omnis habere,
470 Postquam jucundae vis novitatis abest?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quorum nil norunt, nisi onus, non illa placebunt,
Nec praeferre suis lusibus illa volent.
His sibi permissis mandatae finis opellae
Majori curae, quam grave pondus erit.
475 Magnus relligio est studiorum impulsus, at illa
Proh dolor, impulsu, debilis ipsa, caret.
Jam pudor ut multos capiat pietatis et horror,
Ipsi fecerunt impietate pii.
Hos fastu multis et fuco constat adultis,
480 Omnibus hos pueris eripuisse deum.
Nam quisquis puer est illos audire coactus,
Vera etiam falsis addita falsa putat.
Quumque simul specie consuescant fallere veri,
A tali est pro spe relligione metus.
485 Quid, quod in aede sacra, quo coetus cogitur ire,
Ultima devoti pectoris umbra fugit.
Nam vel non auscultat adultos verba monentis,
Vel non exaudit commoda dicta procul.
Custos adpositus, si nugas pellet, ovabit.
490 Cui summa est pietas, oscinat ille tacens.
Nil igitur primo tironum credite curae.
Suspectum est, quidquid composuere domi.
Quod vestris illos oculis proferre videtis,
Hoc certum, attenti dummodo sitis, erit.
495 Ergo velut schola sit locus unus publica vitae,
Nil, quud alat vires, praetereatur ibi.
Perdiscendarum summam describite rerum,
Quam poscit classis quaelibet atque capit.
Has abiens vestro perceptas debeat ori
500 Mente modo et patula praeditus aure puer.
Vix haec in ludo parvis bene tradita dicam,
Quae non post illi ni repetita tenent.
Non a praecepto pergendum, donec in illo
Maxima pars habitet, parva sit hospes, erit.
505 Plurima mente capi, scribi perpauca jubebo.
Non signis animus, sit ratione memor.
Non docet hic pueros, qui magna volumina rebus
Hos complere jubet, quas liber emtus habet.
Pestis doctrinae scriptura est, credite. Pigros
510 Doctorem monstrat, discipulumque facit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed mala dum celeres digiti dant otia menti,
O utinam certe corpora salva forent!
An bene consulitur contracto ventre futurae
Sorti, quae nervos postulat atque latus?
515 Non vos ergo pudet, patribus sic reddere natos,
Scribere si possunt stulta, nec illa diu?
Lex nimium scribi vetuit. Quid profuit illa?
Scilicet ut pergat scribere multa puer.
Scribit praemeditans, scribit memorata recondens,
520 Et scribit poenam dans fugiensque gravem.
Desino, namque monent iteratae taedia vocis.
Mallem fecissem taedia tanta rei.
Tempus ubi falso vanoque labore vacabit,
Cura, ut sincerus compleat illud, erit.
525 Privato studio schola quae facienda reliquit
Hactenus, in reliquum vindicet illa sibi.
Dicis: disce puer! Ego dico, disce magister
Cum discente; comes posce futurus iter!
Quam tibi nunc sordet Joachimus Langius! Idem
530 Egregius tibi dux est paradigma docens.
Quos rides, Gallus Jacototus et Anglus Hamilton,
Risi non rebus, quas imitere, carent.
Nil admirari volo te, nil spernere malo.
Ottonis Schulzi sis in utroque memor.
535 Multa manent, quae te, quamquam non teste, patrari
Vel nova lex etiam, vel vetus una jubet.
Hic ego, qua caveas, volo te ratione docere,
Ne, quos non cernis, sint lateantve pigri.
Cui, quod cras recitet, discendum praecipis, ille
540 Fallere, si possit, ne volet ipse quidem.
Nam, si me sequeris, nihil hunc nisi forte bonumque
Atque juventuti discere dulce jubes.
Gaudet digna viris tenui puer ore referre.
Virtutem laetus, cui studet, ante capit.
545 Non hic, non alias fallet re capta juventus,
Sed quibus haud capitur, sunt propiora dolo.
Patria cum fructu reddentur verba latinis,
Sed fructus quid nunc dulce futurus habet?
Mens latet alta chori. Quaerenda est ante magistrum.
550 Compositi tempus protrahit illa joci.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Libera sunt manicis numerorum verba liganda,
Verborumque dolet sorte suaque piger.
Hic inhonesta operae pauci compendia temnent;
Qui temnent, reliquis janua fraudis erunt.
555 Hunc usum frustra coneris tollere turpem,
Ipsaque mendaces res vitiosa facit.
Callidiora cave plectendo reddere furta,
Sed fur se notum fac tibi ut esse putet.
Ut putet hoc recte, privato cuique labori
560 Publicus addatur nomine reque pari.
Egregios versus absens qui fecit, habeto,
Quum similes praesens fecerit ille, fidem.
Qui malus interpres te teste est verba silenti
Quamquam dante, bonus non fuit ille domi.
565 Vossius an sua mens puero illustrarit Homerum,
Propositis coram scis subitoque locis.
Nil sit, quod solus bene vult fecisse videri,
Praestari prope te quin jubeatur idem.
Nec desunt ipsis, quae sunt effecta seorsim,
570 Auxilii si vis discere signa mali.
Omnia pensa legens verbis, quae insignia cernes,
In charta auctores nomine junge tua.
Nomina si qua vides ad idem redeuntia semper
Verbum, communem crede subesse dolum.
575 Circumretitos hac si ratione tenebis,
Esse tibi notos, poena sit una reis.
Haec emendabit, si illis es carus, inertes,
Sin minus, hac frustra durior omnis erit.
Aut nunquam debes, aut ut pater esse severus,
580 Ni pueros ultro vis dare verba tibi.
Moroso gaudent imponere cuique puelli;
Fallere mansuetum est velle gravemque pudor.
Sed quae consului, vel charta pressus omisi,
Si recte at frustra saepe secutus eris,
585 Credita si tibi pax pugnas cum fraude relinquet,
In quibus ambiguus denique victor eris,
Foedere si sancto pueros mendacia jungent,
Atque erit his virtus turpe tacere nefas,
Ne tu propterea spem praeceps abjice totam,
590 Neu me consiliis omnia posse puta.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Est, ubi cuncta ruunt, res una vel altera magni,
Quam praesens animus servat et apta manus.
Omnes non poterit, poterit lue solvere multos
Ars, bona, venturae si mora mortis erit.
595 Sic ars nostra luem modo circumscribere fraudis
Virtutis certam vult remorata necem.
Certam, donec erit juvenes corrumpere lucrum,
Certam, dum exponent hos sua pensa sibi.
Finis adest, lector. Gaudes, miraris at idem,
600 Et cursum navem non tenuisse putas.
Nec mirarer ego, tot ventis horruit aequor,
Flectere propositam qui potuere viam.
Ne tamen in magnis me oblitum erroribus esse
Solverit alnus ubi, quo sit agenda, puta.
605 Illud agebatur, quo, quae schola cunque doceret,
Aetatem ut ferrent, vinceret ipsa modo.
Jam si quid velles in mente manere, docebam,
Quo non intrasset, posse manere nihil.
Multa simul nequeunt intrare in viscera mentis:
610 Hinc labor ad paucas res revocandus erat.
Mens languore palam, privatim fraude laborat:
Quod duplicem morbum frangeret, ergo dabam.
Ah medicamentum cur non praesentius extat,
Summi quo robur perditur omne mali!
615 Si nisi praestigiis doctus fit nemo, vel omnes
Indocti, vel sint libera cuncta pigris.
Id modo, quod vitae nugis fraus vindicat, esset
Ad plura injunctis percipienda bonum.
Hoc usi recte juvenes et semper amantes
620 Et memores horum, quae didicere, forent.
Nunc, quot mentis ager colitur, si respicis annos,
Septem sunt anni tempore, messe duo.
Jamque ego, Suringare, duplex tua praemia nolim:
Spernenti nummos, immeritoque dares.
625 Sed vos collegae, si ex carmine pauca juvabunt,
Haec vobis cupio, cetera dicta mihi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf